Minsberg

Nachricht

von dem Zustande

des Königlichen katholischen Gymnasiums zu Leobschütz

während des Schuljahres 182 6/7,

womit

zu der auf den 13., 14. und 15. August abzuhaltenden

öffentlichen Schulprüfung

und

zu der auf den 18. August, Vormittags um 8 Uhr angesetzten

feierlichen Entlassung der Abiturienten und Klassifikation der Schüler

ergebenst einladet

Dr. Jelonek,

Rector und erster Lehrer.

Vorausgeschickt ist eine lateinische Abhandlung des Oberlehrers F. Minsberg über das Amphiktyonen-Gericht, in Bezug auf das delphische Orakel.

Ratibor, 1827.

Gedruckt bei Franz Michael Langer.

Minsberg

De consilio Amphictyonum ad Oraculum Delphicum relato.

Haec quum sit multorum ratio, ut in rebus dijudicandis alienae auctoritatis praestigias temere sequantur et operose inquirendo aliquid reperire recusent, non sine fruge in examen revocantur, quae specie recti nonnunquam animos decipiunt ingeniosae opiniones. Ita enim fit, ut et auctorum virtuti et veritati ad liquidum exploratae idem habeatur honos. Quare nemo justus rerum aestimator reprehendet, me, quo tempore ex lege scholis nostris imposita partes meae essent materiam a rebus scholasticis non abhorrentem pertractandi, inquisivisse in nonnullas de Amphictyonum Consilio opiniones.

Amphictyonum Consilium, quod Delphis vere, ad Thermopylas autumno conventus celebrasse inter

omnes constat, composuerunt, qui e pluribus Graeciae civitatibus delecti vel Ἱερομνήμονες vel Πυλαγόραι vel Σύνεδροι appellabantur. Sunt, qui Θεώρους quoque illis censeant adnumerandos. Antiquissimis tamen temporibus, quae est opinio viri doctissimi Van-Dalen, solos Pylagoras in consilium convenisse admodum est probabile.

Van-Dalen de Consilio Amph. p. 450.

Herodotus, quum Amphictyones commemorat, Pylagoras denotat. Plurimi autem eos opinantur generalia civitatum graecarum comitia ad instar foederatorum reipublicae Helveticae pagorum seu Unionis provinciarum Americae septentrionalis simul cum Oraculo delphico instituta, in majus auctoritatis subsidium religionis velamine obducta, quibus id muneris mandatum, ut de rebus Graecorum populorum explicandis atque rectius confirmandis consultarent, Pythiae responsa ad servandam inter civitates pacem et concordiam ex arbitrio flecterent, quae quidem omnia argumentis ex ipsa Oraculi administratione, lege denique, quam in agendo sequebantur Amphictyo-

Herod. lib. VII. §§ 213 et 214.

nes, deductis comprobare conantur. Ne eadem recoquere cogar, tum demum, quum id, quod mihi in utroque visum est, verisimillimum, attulero, ad refellendam eorum opinionem convertar.

Quotquot in Graecia aliisve terris extiterunt Oracula, nisi quod vaticinia edita fortuito vel temera multitudinis credulitate vel sacerdotum artificiis viderentur probata, fidem sui tueri non potuerunt. Delphicum quidem oraculum aliquamdiu celeberrimum et, Strabone teste, omnium minime fallax fuit aestimatum; id tamen non officit, quominus et aliorum ejusdem aetatis oraculorum auctoritatem plurimum valuisse credamus. Major minorve fortunae famaeque modus certis alioquin temporum finibus restrictus, ut ratione Pythicae vocis grave quoddam objiciamus discrimen eamque politicam potius, quam religiosam putemus institutionem, nec potest nec debet adducere. Qui de Oraculis scripserunt omnes, quum iisdem eventibus easdem causas subesse apprehenderent, eorum conditionem juxta aestimarunt.

Nihil attinet statuere cum Tertulliano et Origene, oracula daemonicam fuisse rationem eorum Spirituum, qui in hominibus ipsis habitaverint vel memorias eorum adfectaverint ad omnem malitiae ſcenam, in ista aeque Specie divinitatem mentientes eademque industria per beneficia fallentes medicinarum et admonitionum et praenuntiationum; nec inde quod ſeculis quoque cultioribus Gentilium sanctuaria animos multorum deceperint, concludere licet, Sacerdotes omnem Religioni fidem derogasse, civitatum rectoribus callidissime inservientes; longus enim inter impietatem et crudelitatem discernitur tractus.

Tertull. libr. de anima c. 46.

Rem si a principiis repetamus, eam ubique hominibus indolem insitam observamus, ut a contemplatione rerum naturalium avocati ad causae primariae cognitionem animum advertant. Hanc autem causam, quanta qualisve sit, cum ſatis perspicere non possint, mente insistunt in futura praesentienda; Deos itaque aut quodcunque Deorum loco habetur, in majori saltem certa-

mine aut discrimine salutis scrutantur, interpretum adhibitorum monitis confisi.

Abhorrent a ratiocinatione credulitas et coeca sollicitudo; inde apud omnes fere terrarum populos Oracula, Sibyllae, divinationes etc. Gentem enim, Cicero ait, nullam videmus neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamque barbaram, qae non significari futura et a quibusdam intelligi praedicique posse censeat. Ipsi viri, qui legislatorum nomine a scriptoribus insigniuntur, inveterata superstitione capti haud exiguam oraculis tribuerunt auctoritatem. Quin etiam philosophi veteres hanc superstitionem rerum magis eventibus moniti, quam ratione docti probaverunt. Mitto Herodotum gravem et eruditissimum, Xenophontem, qui in ea, qua cum Cyro minore perfunctus est militia, sua scripsit somnia, Plutarchum, rerum scriptorum caeteroquin sagacissimum, dicam nonnisi de Caesare dictatore,

Plin. nat. hist. lib. 28 c. 2.

quem post unum ancipitem vehiculi casum Plinius narrat semper, ut primum consedisset, carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitum.

Vanum est multiplicare exempla, quae satis manifeste declarant, minorem fallaciarum partem ad Sacerdotes eorumque instituta esse referendam. Quod si concedatur et in Oraculum delphicum cadere oportet, cujus originem nemo hucusque ex tenebris altissimae antiquitatis in lucem eduxit.

Pausan. in Phoc. c. 5.

Revera idem Graecorum sanctuarium Homeri jam jam temporibus famosum ab Agamemnone consultatum tantam vetustatis obtinuerat auctoritatem, ut primum Terrae matris domicilium a poetis haberetur. Amphictyones autem ab Amphictyone circ. annum a Chr. 1522 institutos refert Dionysius Halicarnassensis; Strabo contra eorum originem quum adserit esse obscuram et incertam, Acrisium, Argivorum regem (c. 1400 aerae vulgaris) memorat conventus pylaici conditorem. Quoquo modo sese res habeat, sive Acrisius Amphictyonas instituerit, sive, quod est verisimilius,

restauraverit, id procul dubio esse videtur istud quarundam civitatum consociatarum commune consilium ratione originis ſuae in remotissima tempora esse ablegandum. Neque tamen eo usque recedere licet, ut ejus institutionem seculis ante Trojam eversam ab omni humanitate alienis tribuamus. Qui ſieri potuit, ut in infantia generis humani, ubi exiguus aut fere nullus erat ingeniorum cultus, nullae animos regebant leges, nihil artium vigebat, quod mentes formare potuisset et perpolire, notiones rerum rudibus animis ita fuerint informatae, ut cum posterioribus congruerint? Quis nationes barbaras easque immanes cultioris societatis foedere junctas crediderit? Quomodo quaeso ſieri potuit, ut Amphictyones, Diis hominibusque procacissime illudentes in tanta populorum ignorantia Oraculum ad ſua consilia politica conformarint?

Thucyd. in introduct.

Secreta, quantumvis licet in collegiis hominum eximiis juribus donatorum ſolerti ſilentio tecta, ſi diu celari non potuerunt; ſigmenta in templis Aegyptio-

rum contexta ſi bellis aliisque publicis calamitatibus tandem ſunt revelata, quis ſanioris mentis in tot tantisque rerum graecarum permutationibus, in tanta eorum, qui versutiarum facti ſint participes, ſuperstitione fraudem religioso-politicam in vulgus non manasse praesumat? Supponamus jam, ſolos Hieromnemones mysteriorum fuisse conscios, id tamen observandum occurrit, alios quotannis ex civitatibus foederatis in consilium fuisse delegatos, quos in cultum divinum adeo petulantes et injurios, ut Apollinem totamque Graeciam ludibrio habuissent, tamque perfidos, qui, quae patriae essent fatalia, dissimulassent, frustra quaesiveris.

Aeschin. adv. Ctesiph. p. 39.

Opinio igitur impugnata, oraculum delphicum arctissimis artis politicae vinculis cum consilio Amphictyonum fuisse connexum, dum ex parte religionis male ſustinetur, minus prospere defenditur ratione politica.

Sainte-Croix in opere suo des anciens gouvernemens federatifs multis et diversis probat argumentis, eas Amphictyonibus datas esse partes, ut administran-

di templi delphici curam haberent, redituum redderent rationem, lites adfluentium componerent, ludis pythicis praesiderent. Caeterum denominationem communis Graecorum consilii Amphictyonibus a Cicerone et Demosthene datam ad communia quae Delphis facta sint sacra, referendam demonstrat.

At non delphico solum, aliis quoque Europae et Asiae templis sua fuerunt Amphictyonum consilia. Civitates Boeoticae ejus generis Senatum sacrum ad Neptuni Onchestii vel Minervae Itonicae convocabant; Achaei ad Neptuni in isthmo Corinthiaco; Strabo et illius Amphictyonii Consilii, quod septem Calauriae civitates delegarunt, facit mentionem. Adde, quae Ephesi et Triopii, teste Dionysio Halicarnassensi; extiterunt. — Sed longum esset omnia percensere numerando. Delphici Amphictyones si ampliorem servarunt nominis sui famam, majori ipsius templi celebritati id omnino debetur. Mirari tamen subit, bello per XXVII annos inter Athenienses et Spartanos saeviente, nec magis in perpetuis minorum Graeciae civitatum cer-

Strabo lib. IX.

Pindar. Od. Nem. VI. v. 68.

taminibus, ad controversias dirimendas ne ſemel quidem Amphictyonum operam fuisse interpositam.

Philippus Macedo compositis Graeciae rebus legatos civitatum ad formandum rerum ſtatum evocari Corinthum jubet. Ibi pacis legem universae Graeciae pro meritis ſingularum civitatum ſtatuit conciliumque omnium, veluti unum Senatum ex omnibus legit. Cui bono, ſi Amphictyones legationum graecarum conventum communem constituissent et cooperante delphico Oraculo Graecorum causas ex arbitrio flexissent?

Just. lib. 9. c. 5.

Aeque falluntur, qui ex ſitu loci conſessibus Amphictyonum commodiore quidquam ſibi concedi putent. Non diffiteor jugorum circumsurgentium, ſaxorum praeruptorum, fontium, antrorum novo conspectu stuporem animis esse injectum et admirationem — Quid inde? nempe de ſummis Graeciae rebus ibi habitum esse consilium? Minime, ſed Deos, quos his locis quasi propius abesse sentirent, multo ante parietibus cohibitos et in consilium fuisse vocatos, quam quos alibi religiose colerent.

Quaesiverit fortasse quispiam, cur jurejurando, ne quid in civitates foederatas et Oraculum molirentur, obstricti ſuerint Amphictyones? Cui responderim, imprecationes in perjuros, sicubi publici conventus religiosi celebrarentur, usitatas fuisse. Athenis, ut est apud Demosthenem, in unaquaque vel Senatus vel populari concione praecones contra impios et proditores imprecationis formulas pronuntiare solebant.

An vero putes Amphictyones idcirco Oraculi fuisse inspiratores rerumque graecarum arbitros communes, quod ereptorum ex incendio (Olymp. LVIII) thesaurorum tutelam civitatibus foederatis commiserint, ipsum praeterea templum reaedificandum diligenter curaverint? Hoc sua sponte apparet, templum civitatibus societatem Amphictyonum constituentibus commune ſumtibus aequaliter ſusceptis fuisse reparandum. **Pausan. lib. 10 cap. 5.**

Et per errorem labuntur, qui a Cyro, Hippia, Demarato majoris Amphictyoniae potestatis petere velint argumenta. Legant jam Herod. lib V. § 62. lib. VI.

§ 66. Pausaniae itid. lib. III. c. 4. ipsique, quae vera sint, probe conjiciant.

Salutem rerum graecarum in bello Regis adversus Graeciam instructo quam parum curaverint Amphictyones, tum omnis fere consilii inopes, idem Herodotus refert lib. VII. § 139; victorias autem, quas Graecia de barbaris Asiam incolentibus reportavit, soli Atheniensium fortitudini, lucido patriae amori, junctis imperatorum viribus et temporis rationi tribuit. Nec quo bello Phocenses, Amphictyonibus concitantibus, victi violatae religionis poenas sanguine et caedibus suis dederunt, aliud quidquam comprobatur, nisi antiquus et perversus hominum divina cum humanis miscendi abusus, quo debiliores imminentia pericula plerumque propulsare conantur.

Lumen tandem philosophiae per Graeciam diffusum rebus commentitiis omnique fabularum generi fidem abrogavit, Amphictyonum et Oraculorum simul auctoritatem infregit. Cicero deridet eos, qui delphici oraculi vim vetustate evanuisse adfirmabant. Vis au-

Cic. de divinat. lib. II. c. 57.

tem ista evanuit, postquam homines minus creduli causas e rationibus naturalibus arcessere, immo necessitatibus naturae illigare, opinionem magis a Deo avertere coeperunt.

Quantum ad Sapientiam responsis ejus dem Oraculi expromtam, non tanti est, ut ineptias omnes et aenigmata in antiquis scriptoribus consignata minutatim recipiamus, nec si vaticinia quaedam occurrunt a ratione minus discedentia classicum canere oportet. Partim enim sunt falsa, partim casu vera, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloqua et obscura, partim ambigua et ad dialecticam deferenda. Hinc Tertullianus in Apostol. c. 22. In Oraculis quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Croesi. etc. Illud sane constat et aliorum numinum oracula non sine fiducia conjecturasse; alio enim pacto fieri non poterat, ut famam inter gentes servassent.

Relinquitur ut hactenus dicta in summam redigamus, ne plura adferendo scriptiones fines ultra modum extendamus.

Quae Amphictyonum Consilium in comitia graecis civitatibus communia vel institutum consimile transformat opinio, mera est ſuppositio idoneis argumentis destituta. Supra probavimus fieri non potuisse, ut qui in consessum Amphictyonum essent delegati, temerarium conciperent, continuarent et exequerentur consilium Pythiae responsa ad ſua arbitria fingendi.

Ipsa Oraculi diuturnitas, quam objiciunt adversarii, longe abest, quae momentum adferat illorum ſententiae; exinde contra venire videmus, quae labefactent illorum causam et oppugnent. Nam Amphictyonibus interdum remotis, Delphorum civitate ab oppressoribus occupata, immo multis post devictam a Romanis Graeciam ſeculis, non obstante temporum vicissitudine, Oraculum ſubsistere potuit.

Pythiarum denique, in quibus praeter credulitatem et ingenii imbecillitatem nihil requirebatur, responsa coeco nonnunquam et maligno ſpiritu concepta eaque confuse pronuntiata in ordinem redigebant prophetae id est oraculorum interpretes vel ministris, ut carminis legibus

ea implicarent, permittebant. Ita Oraculum non ex Amphictyonum, ſed ſacerdotum, qui ex principibus Delphicolarum ſortito capiebantur, pependit arbitrio. Euripid. Jon. v. 416.

Vaticinia Delphis prodita in rebus certe difficillimis commodo graecarum gentium adeo videbantur contraria, ut nonnullae civitates in contemtum quasi Oraculi oppositam Pythicae voci ſententiam amplecti non dubitarint. Herodot. lib. VIII. §. 149 et §. 169. Facere non possum, quin aliud etiam in hanc commentationem adferam, quod grave mihi visam est argumentum. Amphictyonibus ipsique Oraculo delphico, ſi datum fuisset, concordiam inter graecas civitates tueri, tropaea, inscriptiones funestas aliaque ejus generis monimenta, in perpetuam quasi memoriam victoriarum, quos Graeciae populi de ſe invicem reportaverant, fano Apollinis dedicata ſane non tolerassent, ſaltem vetitum illud; ne quis Graecorum inter bella domestica Deum consultaret, abrogassent.

Quibus breviter expositis adjiciam, quae de primis Amphictyonum initiis adumbranda ſupersunt.

Ubi homines vita erratica relicta certas ſedes figere ſtatuerunt, Laribus, quos usque adhuc in arcis et cophinis ſecum circumgestarant, templa exstruere coeperunt. Festis ſolenniter institutis interdum et vicini, ſeu communi gentis origine ſeu morum et cultus religiosi vinculis conjuncti, maxime exactis jam messibus, quot annis interesse, controversiis compositis amicitias et foedera inter ſe confirmare ſolebant. Ejusmodi conventus

proprio vocabulo Amphictyones appellati communes erant diversis Graeciae populis alio apud alios nomine nuncupati. Sabaei priusquam ad formulas Muhamedi converterentur, ad Kaaba, quod ſacellum hodiedum extat Meccae, concurrebant ibique de rebus ſuis agebant. Omnes tamen ejus generis consociationes, ſive consanguinitatis ſive religionis nexibus ſuperstructae, una cum ſacris ſolennibus, unde traxerant originem, celebrari desierunt. Nihil enim in eodem permanet ſtatu, ſed, ubi ad ſummum pervenit, in aliam ſensim eamque deteriorem partem deflectit. Ita Amphictyones delphici, qui eame ſibi traditam habebant provinciam, ut templi privilegia, juris publici ſtatuta ſine religionis violatione nunquam perfringenda tuerentur, quin totius Graeciae imperium omnemque in Oraculum vim ſibi arrogaſſent, ad metas dati aevi pervenerunt, multa, dum auctoritas eorum vigeret, Graecis commoda adferentes. At cresceret ultra terminos constitutos disquisitio, ſi materiam prolixius pertractare vellem; quare ſummatim concludimus atque ſtatuimus:

Richardson de moribus Orient.

Hug. Grot. de jure belli et pacis lib. II c. 21.

a. Amphictyonum consilia non ſine emolumento Graecorum instituta, toto coelo differunt a ſocietatibus civitatum foederatarum;

b. Quae ante foedus Achaicum extiterunt Amphictyonum consilia, partiaria fuerunt et momentanea:

c. Oraculum delphicum ut ipsa fert natura, institutio fuit religiosa nec potuit esse politica.